

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955.

Luchter.

Nr. 60.2.

EXPOSITIONIS PHILOGICÆ
DE
MESSIA, AGNELLOS
IN BRACHIUM SUUM CON-
GREGATURO, INQUE
SINU SUO GESTATURO
AD ILLUSTRATIONEM.

ESAIÆ XL. v. II.

SECT. II.

QUA

AD

SOLEMNEM ORATIONEM
IN MEMORIAM
SCHOLÆ FRIDERICIANÆ REGIÆ
CONDITÆ

EX

LEGE OPTIMA ET INSTITUTO PERQUAM LIBERALI
ILLUSTRISSIMÆ FAMILIÆ

SCHOENAICHIANÆ
D. XII. IUL. IN LYCEO FRIDERICIANO

à SE HABENDAM

HUMANISSIME INVITAT

HERMANNUS BEISMANN,

Scholæ Regiæ Frideric. Rector.

ay.

FRANCOPURTI ad VIADRUM,
Typis SIGISMUNDI GABRIEL. ALEX.

§. I.

Sectione priore Exercitationis hujus Objectum, de quo Prophetæ sermo est, satis excusimus. Vidi mus tum temporis per אֶנְגָּל agnos intelligi, maxime a lacte materno ne cum depulso, non tamen brutos & rationis omnis expertes, sed eiusmodi homines, qui, quod recens in ecclesia nati, & a cognitione tenuiter instructi, nec fide satis sint firmi, consueta scripturis sacris figura, agnorum pingantur & exprimantur nomine. Adjecimus verbo, hoc genus hominum, si ætate adhuc sit immaturum, dupli de causa, quod agnorum representetur vocabulo, dignum esse. Non parum hæc postrema ex cognata Chaldaeorum & Syrorum lingua illustrari possunt, quibus, ut Schindlerus, Buxtorfius, Hottingerius, Schaafius aliquique observant, נְבָר puerum plerumque, aliquando etiam infantem significat: quæ vox si non eadem plane est cum nostra, ab ea tamen non ita procul est remota, propinqua videlicet cum illa conjuncta cognatione, & ejusdem matris filia. Pertinet eodem femininum נְבָר, emphat: נְבָר quod pueram notat, ut notum illud in Evangelica Historia ταλιθα κεμι, interprete Marci, το κορα, στον γυεραι, satis declarat. Incomparabilis Bochartus Oeolicum ταλις ex eo inflexum esse existimat, quod, ut idem ex Hesychio, Suida, Callimache, Sophocle, & imprimis hujus in Antigonen Scholia docet, παρθενον μελλουμον κον πατανομασμενην αυδρι, Virginem nubilem viroque desponsatam significat. Sed nolumus istis diutius inhærere: progredimur, ut, quid ratione agnorum horum facturum esse τον ποιμενα τον καλον κον μεγ αν prænuntiet divinus vates, dispiciamus. Id vero geminum est: primo congregaturus eos erat brachio suo, vel in brachium suum; secundo in sinu suo gestaturus.

§. II.

אֶנְגָּל, unde in Pihel אֶנְגָּל dicitur, cuius tert. sing. masc. Fut. אֶנְגָּל hoc loco legitur, in genere colligendi, congregandi significationem obtinet. Specialius tamen & presius ea, quæ disjecta & dispersa sunt, in unum cogere, ut videtur, significat. Opponi A

Opponitur enim, ut ex *Jerem.* XXXI. 10. *Ez. LVI. 8. Ezech. XX.*
 34. & 41. videre sicut, verbis יְהֹוָה, קָרְבָּן, צִוֵּי, quæ dissipandi,
 disjiciendi vim habent. Hinc enim videas, ingens illud beneficium,
 quod Deus Israëlis posteris exhibitus erat, recolligendo eos ex gentibus, inter quas dispersi palabantur, & reducendo eos ex exilio, in quod dejecti expulsique miseram tra-
 hebant vitam, non tantum a Mose *Deutr.* XXXI. sed & passim
 a prophetis, *Esaia*, *Jeremias*, *Ezechiele*, *Micha*, *Zephania*, aliisque verbo
 γέρων exprimi. Septuaginta, quos vocant, Interpretes, fre-
 quentissime omnium illud per συναγεράναι, minus frequenter per
 επισυναγεράναι, αθροίζω, συναθροίζω & επιδεχόμαι transferunt, ut a
 Celeberrimo Coccio, in Lexico ad hanc vocem, pro eo, quem
 solemnem habet, more jam observatum. Idem tamen, nec
 aliis in interpretando hoc verbo abstinent vocibus, v. gr. επιδε-
 χόμαι, επειπλοπάτω, επλεγω, ἐπιλεγω, περιελλώ & aliis, quos a
 pud diligenter Kircherum in Concordantiis, labore plus
 quam Herculeo ab ipso congestis, videre in promtu est. Ex-
 laudato modo Kirchero discere quoque licet, eosdem τῷ γέρων *Ez.*
LIV. 7. per ελεγονα conversum dedisse: quod qua ratione ab il-
 lis factum sit, ego, qui me Davum non Oedipum esse profi-
 teor, divinando vix assequi possum; nisi forsitan lusum aliquem,
 ac venustatem orationis, quamvis satis frigide in παρηγ-
 ματων, μετελεγονα ελεγονα venati sunt, aut quod veri videri queat
 similius, per erratum μηνιονιον idem vocabulum, quod versu
 sequenti octavo recte ελεγονα interpretati sunt, & hic animis eo-
 rum obversatum fuit. Sed haec obiter tantum, & velut in tran-
 situ dicta sunt.

§. III.

E diverticulo vero ut in viam sese referat commentatio,
 verbum γέρων, ut in genere colligendi quidvis & congregandi
 significatum obtinet, ita quoque de quarumvis rerum collectio-
 ne & congregatione in sacris usurpatum reperitur. Legitur de
 coacervatione frumenti, de accumulatione divitiarum ac opum,
 de congestione prædæ ad unum eundemque locum, de collec-
 tione pecuniae collatitiæ, de conjectione variorum metallo-
 rum in eundem catinum, & quæ alia hujus sunt generis, quod
 prolatis in medium exemplis adstruere non magnæ foret operæ,

fi

Si Lexica exscribere, aut à Concordantiis imprimis Buxtorfi præsidium petere voluere esset. Maxime autem invaluit, ut de congregatione hominum vox nostra in sacris frequentetur, imprimis quando is, qui summam tenet imperii, populum ditioni sua subiectum, aut ad conferenda de summis rebus consilia, aut ad Comitia habenda, aut, quod frequentissimum est omnium, ad inferendum hostibus bellum, illatumve ab aliis populandum, convocat, ut per cohortes & centurias distributos, & sub suis collocatos signis armisque instructos adversus hostem educat. Hinc, quod in præcedentibus vidimus, a Septuaginta Interpretibus non tantum per οὐαγά, οὐαγαῖον, οὐα-
θρούς & alia, quæ ab ipsis Græcis ad exprimendum delectum militarem adhibentur sed etiam per εξικλησίας, quod ad concionem populum vocare significat, conversum legitur 2. Chron. XV. 9. Ita, ut de quam plurimis locis unum alterumve tantum producamus, quem Samuel, post acceptam a Philistæis sub Eli cladem, uniuersum populum Israëlem Mispam convocari vellet, ut quid agendum esset rebus suis, & quo pacto Dei reconcilianda foret gratia, cum populo dispiceret, ait primoribus populi קבצְאַת־כָּל־יִשְׂרָאֵל הַמִּצְפָּה, i. Sam. VII. 5. Nec dissimile est quod de Elia cum prophetis Baalis, in conspectu totius populi, de vero & unice colendo Deo, disceptaturo legitur. Inquit enim Achabo קבצְאַת־כָּל־יִשְׂרָאֵל הַר הַכְּרֶכֶל, i. Reg. XVIII. 19. Quid vero in usu positum est frequentiore, quam ut verbum קָבַץ de Regibus ac Principibus, copias undique, ut in bellum proficiscantur, contrahentibus adhibeatur. Exempla ejus videre licet in Jephthacho, Jud. XII. 4. in Principibus Philisteorum & Saulo, i. Sam. XXVIII. 1. 4. in Benhadad, Regibus Syriae I. Reg. XX. 1. & 2. Reg. VI. 24. & alibi passim,

§. IV.

Propius tamen ad rem nostram facit, quod verbum קָבַץ etiam de congregatione animalium, imprimis e genere ovino, in sacris adhibitum inveniatur. Non provocabo nunc ad Eze. XIII. 14. ubi Deus Babeli comininatur, quod futura sit צָבֵב קָבַץ טֹרֶה וּכְתָן מַקְבֵּץ, ut caprea depulsa & pecus, sc. depulsa, quam nemo colligat; manifestius multo est, quod apud Ieremiam cap. XXIII. legitur. Postquam enim Deus versu primo & secundo

pesti-

pessimos pastores, qui gregem ipsius perdiderant & dispulerant, satis acribus increpuisset verbis pollicetur versu tertio, se reliquias gregis sui recollecturum e terris, quo eas dispulerat, & reducturum in caulas suas, ut in iis foetifcent & augescant, אָקַבְתִ אֶת־שָׁאֵרִית צָאֵן מִכֶּל הָרָנוֹת אֲשֶׁר וְאֵצֶן דָּרְחוֹתֶיךָ תְּשִׂמְחֵן עַל נֹוִיחָן וּפָרוֹ וּרְבוֹן Laculentissimum vero est omnium, quod apud Ezechielem cap. XXXIV. 11. 12. 13. his consignatum reperitur verbis: חֲנַנִי־אָנָי אֶת צָאֵן וּבְקָרְתִים: כְּבָרְתִ רָעֵה עַדְיוֹ בַּיּוֹם הַוּתוֹן דָוְרְשָׁתִי אֶת צָאֵן וּבְקָרְתִים בְּרוֹךְ־צָאֵנוּ נִפְרָשָׂת כִּי אָקַבְתִ אֶת־צָאֵן וְהַלְלוּ אֲחָתָם מִכֶּלֶת הַמִּקְוָת אֲשֶׁר־נִפְצָו שֶׁשְׁ בַּיּוֹם עַמְנוּ וּעֲרָבָה וּקְבָצָרָם כִּי־הַדְּרָצָת וּבְאוֹתוֹם אֶל־אֶרְמָתָם וּבְכָל מַשְׁבֵּי הָאָרֶץ b. e. interprete Junio & Tremellio: Ecce me, inquam, ut reposcam oves gregis mei, & anquiram eos: sicut anquirit pastor gregem suum, quo tempore est in medio gregis sui, exiunt dissipatarum, ita anquiramus gregem meum: ut eripiam illas ex omnibus locis, quo dispersae fuerint tempore nubis & caliginis: Educens eos e populis, congregansque eos ex regionibus, ac reducens eos in terram suam, ut pascam eos in montibus Istraelis ad alves, & in omnibus locis habitabilibus hujus terra. Addi his poterunt Jer. XXXI. 10. Mich. 11. 12. IV. 6. Zeph. III. 19. & Zech. X. 10. in quibus omnibus verbum קָבֵץ disertis legitur verbis, & collectionis ovium vel manifesta injicitur mentio, vel perspicue satis ad eam alluditur: Sed adscribendis illis, ut chartæ parcam supersedendum nunc mihi existimo.

§. V.

Non unum vero beneficium est, quod agnis istis praestitum innuit magnum illum pastorem ovium divinus vates, quando illum eos collecturum esse prænuntiat. Primo enim significat, Messiam tenellam Ecclesiam prolem, simul atque materna prolapsa sit alvo, spiritualis vita cœlestisque ac purioris auræ facta particeps, velut spem gregis sui benigne suscepturn; ac ne fame sitique pereat, aut rapacibus lupis, aliisve malis bestiis in prædam cedat, omni cura provisurum. Secundo indicat, eum omnem adhibitum diligentiam, ut nihil quicunque eorum, quæ ad conservandam & augendam vitam spiritualem, & ad majus conciliandum pertinent robur, ipsis intra sua

sua seclusis septa desit. Tertio ostendit, eum adultiores jam factos & robustiores, ad reliquum aggregatos gregem, in laxiora & liberiora emissurum pascua, & ne quo aberrent aut evagentur, omni prohibitum studio. Clariora haec erunt illis, qui quæ Varro Libro II. Columella libro VII. & Palladius mense Novembri Tit. Xlll. de curandis agnis præcipiunt, legerunt, aut ut legant, opera putabunt pretium. Accedit his quarto, quod sicubi forsan per lasciviam, aut ingruentis horridæ tempestatis metum abrepti diffugerint, prout sane agnus lascivum præ aliis, & pavidum animantium est genus, omni eos requisiaturus sit cura, & investigatos ac inventos ad cœterum gregem reduceturus. Qui caprorum aut ovium gregibus pascendis olim intenti erant, eum in finem nunc tibia, nunc fistula, nunc curvo utebantur pedo, ut iis, qui elegantissimi Longi Postoralia per volverunt, obscurum esse non potest: Messias vero princeps ille Pastorum & αρχιποιητης, ut Petro vocatur, docente Esaiæ, id facturus erat בָּרוּךְ, brachio suo.

§. VI.

זרע, proprie & stricte in homine eam manus designat partem, quæ ab humero ad cubitum protenditur. Chaldaeus Interpres habet עַרְבָּה quod rectius עַרְבָּה effertur, & cum Hebraeo prouersus idem est, nisi quod, consueta Chaldaea enallage, lingualis וְ cum sibila וְ sit permutata. Septuaginta vertunt βραχίων, quod Latinis brachium significat. Eandem denotat partem, quam Hebr וְ, ut ex Polluce Lib. ll. cap. 4. colligi potest. Phavorinus ita dictum putat, quod τὸς λογικὸς μετεξεστὶ βραχυτέρος, cui Martinus in Cadmo pollicem premit. Hebraicum וְ procul dubio a וְ ortum traxit: an vero ideo, quod, ut Avenarius & Schindlerus contendunt, semen manibus spargatur, non æque certum. Rectius Stockius, saltem circumspectius, וְ in genere a spargendo dictum esse tradit: forsan, quæ mea est conjectura, quod extra reliquum corpus, ad utrumque latus sparsa sint brachia. Per Syncedochen Partis ponitur pro tota manu. Ita clarissime sumitur Dan. X. 6. ubi in descriptione Viri, qui Danieli apparuit, solum brachiorum sit mentio, cum tamen integræ manus intelligi debeant, ut cum ex aliis, tum ex oppositione pedum quam clarissime liquet. Ita quoque accipi debere

bere in omnibus illis locis, in quibus Deus populum suum solo
brachio ex Ægypto erupturus esse vel eripuisse dicitur, v. gr.
Ex. VI. 6. Deut. IX. 29. 2. Reg. XVII. 36. Ps. LXXVII. 16. & al. si-
quidem satis notum, id alias manu valida & brachio extento
factum fuisse dici, ex gr. *Deut. IV. 34. V. 15. VII. 19. XXVI. 8.*
Ps. CXXXVI. 12. & al. Per Metonymiam Efficientis vel etiam
Subiecti significat robur & potentiam. Ita *Phavorinus θεο-*
πινας και η δυναμις, quæ ex *Suida* summissæ videtur, qui addit;
επιδην δε αυτοι εργαζεται πεφυκασιν οι ανθρωποι. Deo *και αρχη-*
ποταθσιαν tributum immensum illius robur, & inexhaustam ex-
primit potentiam. Exemplorum cum hujus, tum illius tropicæ
significationis, affatim dabunt Lexicographi, imprimis *Schindle-*
rus, Coccejus, Stockius, item *Glossius* in *Philol. S. Rhetor. Tract. I.*
cap. VII. & XII.

§. VII.

Quænam ex significationibus istis (nam ab aliis quæ affe-
runtur consulto nunc pratermittimus) hic locum habere debeat,
videbimus tum, ubi de præfixo **το-**, nonnihil præmonuerimus.
Notum est ex Grammaticis præfixum **το-** esse e numero illarum
præpositionum, quæ duplice admittunt casum, Accusativum
& Ablativum. Posteriori modo constructum putarunt Inter-
pretes Græci; vertunt enim *το ιντριγη*, *το θραξιον αυτοι*, quasi *το*
το Ablativum hoc loco regeret, ac nota esset causæ instrumen-
talis, qua summus Pastor agnos congregaturus esset. Priorem
tamen construendi rationem præferunt Junius & Tremellius, ver-
tunt enim in brachium suum; ut **το** sit nota Accusativi, & mo-
tum ad locum significet. Prævit b. *Lutherus*, qui præterea Enal-
lagen numeri hic esse credidit, vertens, in seine Arme; a quo
nec latum unguem discedunt doctiss. Belgæ. Græcos si sequa-
ris, dubium non est quin tropica præferenda sit significatio, &
per brachium Domini divina illius intelligi debeat potentia,
quam extrinsecus quidem per Verbum Evangelii, quod apo-
stolo Paulo ad *Rom. I. 16.* potentia Dei dicitur, intrinsecus vero
per spiritum suum in cordibus exserit: adeo ut sensus sit, Do-
minus, tanquam summum Pectorem, novum subolem ecclesie
per Verbum & spiritum suum indies aggregaturum, utque in vera
fide magis magisque proficiat, invicto suo effecturum robore.

Quod


Quod si vero Junii, Tremellii aliorumque insistas vestigiis, in quos omnibus late ponderatis, ego quidem magis propendo, tropicæ significationi ita potior tribueretur locus, ut tamen propria non penitus excludatur. Alluditur sc. ad Pastores, qui, ut Farenius in Bibl. Crit. & Corn. a Lapide in Comment. ad h. l. notant, agniculos, quos matres in campis & montibus enixa sunt, manibus & brachiis exceptos, ad caulam deferre solent; vel etiam, quod addere licet, ubi grex e pascuo in pascuum transferendus, recens editos & pedibus nondum satis firmos, inter manus & brachia per viam gestare. Indicatur itaque hac phrasí tenerimus amor, quo fidelis ille pastor teneros ac infirmos egregie suo complexurus sit, verbo suo ac spiritu ita eos sustentatus, suaque potentia ac gratia ita sublevatus, ut velut in brachiis ejus, ab omni labore ac molestia vacui, & contra omnia pericula tuti, delitescere ac ferri videantur.

§. VIII.

Mirifice confirmat hanc expositionem, & tantum non flagitat alterum illud, quod agniculos istis facturus dicitur Mefias, portatus in finu suo. Quomodo enim in finu eos gestaret suo, nisi prius illos in sua receperisset brachia? Sed de hoc, volente Deo, Sectione sequenti plura.

Indicenda nunc est Oratio Solemnis, quam DE ISRAELITARUM IN EXTRUENDUM TABERNACULUM MUNIFICENTIA d. XII. Julii h. l. c. habiturus sum. Quem Actum ut Magnif. Univ. Rector, Excellentiss. Scholæ Curatores, Patres Academiz Conscripti, ac ceteri cuiuscunque Ordinis atque dignitatis Conspicui Viri, bonarum literarum Fautores Egregii, honorificentissima sua præsentia cohonestare ne dedignentur, ea, qua par est, observantia submiserogo.
Scribeb. Traj. ad Viadr. d. XI. Jul. A. C.

MDCCXXXVI.



Fd 5611

ULB Halle

3


002 715 18X



-7430c

VD 17

MG





EXERCITATIONIS PHILOGICÆ
DE
MESSIA, AGNELLOS
IN BRACHIUM SUUM CON-
GREGATURO, INQUE
SINU SUOGESTATURO
AD ILLUSTRATIONEM.
ESAIÆ XL. v. II.
SECT. II.
QUA
AD
SOLEMNEM ORATIONEM
IN MEMORIAM
SCHOLÆ FRIDERICIANÆ REGIÆ
CONDITÆ
EX
LEGE OPTIMA ET INSTITUTO PERQUAM LIBERALI
ILLUSTRISSIMÆ FAMILIÆ
SCHOENAICHIANÆ
D. XII. IUL. IN LYCEO FRIDERICIANO
à SE HABENDAM
HUMANISSIME INVITAT
HERMANNUS BEISMANN,
Scholæ Regiæ Frideric. Rector.
FRANCOPURTI ad VIADRUM,
Typis SIGISMUNDI GABRIEL. ALEX.